

quam moderationem speres aut exspectes ab his mortalibus? Æthiopem lavas, & litus aras, si cum iis de doctrina eorum disputes. Istis errorem suum ostendere tantundem est atq; Isthmum velle perfodere, & fidem, quæ doctrinam istam respicit, & quam credunt excidere nunquam posse, pectoribus eorum velle excutere. Nolent videre, etiam si Solem manu tua portes. Et quid rationibus promovebis apud eos, qui credunt fidem suam omnipotente Dei manu in se effectam esse, & eadem vi in se conservatam semper iri? Ab his itaq; frustra pacis aut moderationis consilia exspectare se sciunt Remonstrantes. Nec inopinati quicquam sibi accidere credunt, quando eos respuere atq; abominari vident consilia omnia pacis, quæ Christiano orbi dant: Sciunt aut proflus sentiendum esse cum ipsis, aut actum esse de pace. Nemo eos potest habere nisi aut socios, aut hostes. Fatalis prædestinatio, malorum omnium lerna, non finit aliter fieri. Neq; tamen desperant idcirco, quin futuri sint probi ac pii inter omnes Sectas, qui, si non probabunt consilium eorum, studium tamen eorum ad pacem & concordiam promovendam non sunt improbatum. Quod ut fiat, ex animo & supplices Deum rogant.

Interim, ne cuiquam sit obstaculo hæc Censura, ad eam examinandam nos accingimus, ubi primum nonnulla de scopo Censorum, quem propositum sibi habuerunt, præmonuerimus. Quisquis Censuram accuratè & cum iudicio considerat, is primam statim fronte deprehendit, id potissimum dedisse operam Censores, ut, ineptientis Bodecheri vestigiis insistentes, Remonstrantium Confessionem Socinianismi non tam justâ labe, quam inani nomenclatura penè ubiq; infamarent. Tria huic rei fidem faciunt. I. Quod in Confessione eorum, ea etiam ut Sociniana censuerint, in quibus Socinianos cum Orthodoxis conspirare certissimum est, ipsiq; adeo aperte fateri coguntur. II. Quod ea, quæ vel Socini nullo modo sunt, vel quæ Socinus ab his aut illis Reformatis Doctoribus mutuatus est, vel quæ cum Scriptoribus neutiquam aspernandis habet communia, solo Socinismi titulo gravent, ut invisi atq; exosi nominis maculâ, veluti atrum stigma iis inurant. III. Quod quæ Socini non solum sententiæ, sed et phrasi contradicunt, Socinismi tamen veru atq; obelo confodiant, eâ solum de causa, quod vel in terminis Socinianæ sententiæ condemnationem non contineant, vel non isto modo, istis terminis, istis phrasibus, ista viâ Socinum oppugnent, quæ in Scholis eorum usitatae sunt. Et in hisce tribus cardinibus totus labor Censuræ vertitur, Mirum. a. quanto artificio, quantâ cura, quanto

Præmittuntur generalia quædam que lucè sequenti examini dant, de Socinianismi macula, quam Confessione inuere propositum antè omnia habuerunt Censores

Tria indicia ponuntur, unde patet, turpitudine & iniquitas tã malefani propositi,